

centus concurrant, intelliges tonum servi vel distinctivi minoris olim in eadem voce esse expressum, adeoque vocem duplici tono lectam, ex quo cognoscitur usus musicus. Si vocem monosyllabicam duplici accentu distinctivo notatam inveneris, colliges eam vocem duplici tono esse lectam, quod pariter usum musicum comprobat. Si Distinctivos majores loco minorum & minores, loco majorum positos observes, scias lectorem vel tardiori vel celeriori pronuntiatione latentem affectum vel constantem accentuum tenorem indicare; idem oratoribus usitatum est. Sed distingvendus est usus musicus ab incondito Judæorum modernorum clamore, qui, uti constat, tot modulationibus ineptis, sensum verborum tantum obscurant; ut nullus fere auditor aliquid percipiat. Sed usus hic musicus olim fuit euphonicus, & sensui exprimendo aptus, qui quam maxime ad distinctam oratoris pronuntiationem accessit. Et quoniam ex Montfauconii Palæographia, Kircheri Musurgia, Meibomii scriptoribus Græcis, aliisque patet, quod hebræorum accentus ex parte cum Græcorum notis musicis conveniant; Cl. Viri sententia magnum robur acquirit. Accedit etiam, quod ipsi Talmudistæ confiteantur, Codicem S. lectum esse jucundo quodam cantu. Megilla IV. 32. a. Agnoscitur præterea accentuum usus musicus ex Masora, quæ Gen. V, 29. dicit, cantandum esse (וַיִּשְׂרָא) Geresch ante Tischan. Pari modo accentuum nomina usum musicum indicant. Sakeph dicitur elevator, quia tonum elevat; Pashta extensor, quia eum extendit, Geresch expulso, quia eandem subito expellit &c. quod Buxtorf in Thesauro L. I. c. V. fusius deduxit; certum itaque est, quod primus Auctor, qui accentibus nomina imposuit ad officium musicum respexerit. Deinde nec solum hebræo codici, sed & Milchne euphonicæ lectionis & memoriæ juvandæ gratia accentus adjectos esse testatur R. Afria P. III. Meor Enajim cap. 59. In chaldaica versione Onkelosii eisdem occurrere notum est. Præterea nisi officium Musico-Rhetoricum admittamus, Capelliani semper clamabunt, quem in finem tanta accentuum multitudo & diversitas? Distinctio & conjunctio vocum tribus vel quatuor accentibus absolvi potuisset, si in aliis linguis pauca distinctionum signa. Si vero officium Musicum adjungimus, ratio-

nem